



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio vndecima. Vtrum animæ damantorum ante resurrectionem  
corporum patiantur ab igne.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

quod non bene apparet quomodo calor ignis possit sensum tactus immutare spiritaliter & non naturaliter. Si vero ille ignis sit vere laeuius habetur propositum, scilicet quod damnari aspergentur vera passione naturali illata ab igne. Quod patet sic: quia obiectum tempore vel natura praecedat motum potentia, sed ignis ut vere laeuius & sub ratione qua laeuius ino vt actu laedens est obiectum actualis apprehensionis & actualis afflictionis sequentis in damnatis, ergo prius tempore vel saltem natura ignis laedit corpora damnatorum quam apprehendatur & quam sequatur dolor in eis, sed illa laesio ex quo praecedat omnem immutationem spirituale non potest esse nisi per immutationem realem & naturalem, quare &c.

11 Sic igitur apparet quod verus dolor sensibilis qualis ponitur in damnatis non potest causari per solam immutationem spirituale seu intentionalem. Et quod dicitur quod sensibilia proportionata deficiant, improporionata vero offendunt, dato quod non mutantur immutatione naturali, vt colores & soni, non valet: quia quauis tristitia possit causari ex omnibus illis qua nobis nolentibus accidunt (vt dicit Aug. de ciuitate dei) dolor tamen sensibilis secundum eundem modum non est nisi ex laesione carnis prouenies, praedicta igitur sensibilia quantumcumque improporionata causare possent tristitiam seu displicentiam, sed dolor sensibilis nihil potest causare nisi illud quod immutat corpus realiter.

12 Contra rationem etiam quod isti assignant arguitur: dicunt enim quod quia colum per motum suum est primum alterans ideo cessante motu caeli cessabit omnis alteratio illud autem non potest teneri saltem Parisius cum sit articulus condemnatus: dicit enim articulus quod dicere quod cessante motu caeli si ignis esset iuxta stuppam non combureret ipsam error est. Item illa ratio videtur repugnare positioni, quia primum alterans est causa omnis alterationis & non cuiusdam tantum, si ergo per cessationem motus caeli tanquam primi alterantis cessent aliae alterationes oportet dicere quod omnes cessent, & non quaedam sic, & quaedam non, quod est contra eos qui dicunt quod cessabit actio naturalis, non autem intentionalis. Ista etiam distinctio alterationum seu immutationum est satis dubia: quia omnis alteratio quam facit quodcumque sensibilis in medium vel in sensum videtur esse naturalis & realis. Naturalis quidem, quia est ex principis naturalibus & naturaliter agentibus. Realis vero, quia per eam fit vera & realis forma in susceptio qua habet totum suum esse circumscripra omni operatione animae. Verum est tamen quod haec immutatio talium sensibilium non corrumpit aliquem sensum per se, sed solum illa que fit a sensibilibus tactus, quia consistentia corporis per se dependet ex qualitatibus tangibilibus & non ex aliis sensibilibus & ideo immutationes qualitarum tangibilium possunt pertinere ad corruptionem corporis, non autem illae quae sunt ab aliis, propter hoc tamen non debet dici quod immutatio que fit a qualitatibus tangibilibus sit naturalis & realis, illa vero quae fit ab aliis sensibus non sit naturalis nec realis sed tantum intentionalis. Omnes enim sunt naturales & reales, & aequaliter dependet a primo alterante: & ideo si mutatio aliorum sensibilium puta coloris vel soni potest esse cessante motu caeli, eadem ratione poterit esse immutatio naturalis secundum qualitates tangibiles.

13 Item nullo modo videtur quod caelum ratione sui motus localis sit causa alicuius alterationis, nec illius quae est ab ipso immediate, nec cuiuscumque alterius. Primo, quia principium quo alterans alterat naturaliter est aliqua qualitas alterantis siue vniuoca cum termino alterationis siue aequiuoca, sed motus localis non est aliqua qualitas corporis caelestis, nec aliqua forma absoluta, ergo non potest esse principium seu ratio alicuius alterationis. Maior patet, quia sola forma potest esse principium quo aliquid agit: illa autem respectu alterationis non potest esse forma substantialis (vt patet per Arist. in lib. de sensu & sensato) nec quantitas, quia illa nullius actionis est principium, imo abstrahit ab omni actione & passione, nec relatio vt patet ex 5. Phys. Relinquitur ergo quod sit aliqua qualitas, & sic patet maior. Minor de se manifesta est, & nihilominus habetur. 3. Phys. vbi dicitur quod motus localis nihil valet in caelo, & ideo ille solus motus ei attribuitur. Secun-

Quaestio XI.

do, quia impossibile est quod aliquid habens principium agendi aequum perfectum vt prius, & passum aequum dispositum vt prius non possit agere vt prius, sed cessante motu caeli ignis remanebit ita calidus vt prius, & stuppa aequum disposita vt calefiat sicut prius, ergo eis approximatis ignis necessario combureret stuppam sicut prius, & eodem modo cum corpora damnatorum sunt vere passibilia (caerent enim dote impassibilitatis quae habent corpora beatorum) poterunt ergo vere calefieri & immutari ab igne sicut nunc immutantur, cessatio ergo motus caeli non impedit veram & naturalem alterationem corporum: quia motus caeli ad eam non requiritur, quauis requiratur ad alterationem generationis & corruptionis & aliarum mutationum per hoc quod adducit solem & alia astra respectu diuersarum partium terrae quae sui praesentia agunt, vt prius non agebant, & propter absentiam suam non agunt vbi prius agebant.

14 Dicendum est ergo quod corpora damnatorum vere patentur ab igne per veram & naturalem alterationem calefactionis, quae tunc esse poterit (vt probatum est) nihilominus tamen nunquam corrumpetur diuina virtute faciente, quod alteratio talis praesente maneat in limitibus suis, ita quod ad eam non sequatur corruptio, & quod hoc sit possibile probatur sic: quando cumque duae actiones sunt diuersae & ad diuersos terminos, virtute diuina potest fieri quod vna sit sine alia, & maxime prima sine posteriore, sed alteratio & corruptio formae substantialis in materia sunt duae actiones habentes diuersos terminos. Nam terminus alterationis est qualitas, terminus vero corruptionis est priuatio formae substantialis, alteratio etiam praevia est corruptioni, ergo virtute diuina potest fieri quod sit vera alteratio, & non sequatur corruptio, & sic fiet in pena damnatorum, vt perpetua vita naturae sit eis ad perpetuam durationem pena.

15 Ad primum arg. in oppositum patet responsio ex hoc quod ita dictum est.

16 Ad secundum dicendum per interemptionem minoris, quia motus caeli non est principium per se alicuius realis actionis, sed requiritur ad alterationem actionum, puta generationis & corruptionis, quia adducit & abducit generans, vt dicitur in fine secundi de generatione. Et quia in tali alteratione stat coexistentia mundi secundum dispositionem quam videmus, ideo motus caeli comparatur motui cordis in animali, & non propter hoc quod motus caeli secundum se sit per se causa alicuius actionis, quia nec motus cordis talem causam habet.

17 Ad tertium dicendum quod causa aequiuoca ad quam actiones inferiores reducuntur non est motus caeli sed ipsum caelum, cuius actio non totaliter cessabit cessante motu: nam si cessaret totaliter, forte nihil corruptibile saltem mixtum posset remanere naturaliter loquendo, & si remaneret, hoc non esset per naturam, sed per miraculum, & tunc sicut haberet naturam quam prius & non a caelo, posset agere & pati sicut prius, non obstante cessatione totalis inuenturae caeli, quae non requiritur ad actiones inferiores, nisi quia conferuat virtutes eorum.

QUESTIO XI.

Vtrum animae damnatorum ante resurrectionem corporum patiantur ab igne.

Tertio quaeritur vtrum animae damnatorum ante resurrectionem corporum patiantur ab igne. Et arguitur quod non, quia nullum corpus ponitur immediate pati passione proprie dicta a spiritu, ergo spiritus non potest immediate pati passione proprie dicta ab villo corpore, quare nec ab igne. Consequenter patet, quia corpus magis natum est pati a spiritu quam a corpore. Probatio antecedens, quia passio proprie dicta fit per ablationem qualitatis conuenientis & per introductionem qualitatis disconuenientis, vt patet ex precedentibus, sed nullus spiritus potest aliquam formam seu qualitatem immediate causare in aliquo corpore, vt ostensum fuit in libro 2. ergo nullum corpus potest pati a spiritu passione non solius proprie dicta, sed etiam quacumque, cum omnis passio sit receptio alicuius formae.

2 Item Augustinus. 12. super Gen. ad literam dicit & ponitur in litera, quod non sunt corporalia, sed corporalia.

bus similia quibus animæ corporibus exuta afficiuntur siue bene siue male, sed dicuntur affici dolore, ergo illud nō fit ab igne inferni qui est corporeus vt visum fuit.

3. Item secundum eundem & ibidem agens est nobilitas patiente, sed nullum corpus nobilius est spiritu, ergo nullus spiritus potest pati à corpore, sed tam anima separata quàm angelus spiritus sunt, ignis autem inferni est corporeus, sicut patuit supra, ergo anima vel angelus nō potest pati ab igne inferni.

4. Item corpus non agit in distans nisi mediante propinquo, sed tam dæmones q̄ animæ separatae sunt quandoq; extra locum inferni circa nos, cū quandoq; hominibus appareant, nec tamen sunt sine pœna sibi debita, quia sicut gloria bonorum nunquā interruptitur, ita nec pœna damnatorum, nec tamen videmus q̄ omnia intermedia ab igne inferni patiuntur, ergo non videtur quod pœnae quas patiuntur dæmones vel animæ damnatorum fiant ab igne.

5. IN CONTRARIUM est quod dicitur Lucæ 16. & allegatum fuit prius de anima diuitis epulonis quæ dicit se cruciari in flamma, & Mat. 15. dicitur. Ite maledicti in ignem æternum, qui parati est diabolo & angelis eius.

6. Ad idem est quod dicit Aug. 21. de ci. dei adhærebūt spiritus (licet incorporei) corporeis ignibus cruciandi, accipientes ab ignibus pœnā, nō dantes ignibus vitam.

7. RESPONSIO. Tenendū est sine vlla dubitatione q̄ tam dæmones quàm animæ separatae puniuntur in igne inferni, sed modum totalem punitionis, puto latere omnem hominē cui deus nō reuelauit. Proceditur ergo sic circa quæstionem istam, quia primō ponitur vnus modus secundū quē nō est dubiū alicui docto fideli dæmones & animas danatorū posse pati, sed quia istum modum nō credo esse totalem & perfectū quo dæmones & animæ patiuntur, ideo illo posito ponitur quidā alii modi qui tanguntur à doctoribus secundum quos dæmones & anima separatae ponuntur pati ab igne.

8. Quantū ad primum modum nō excludendo alios, dicendum est q̄ aliter patitur anima separata ab igne corporeo & aliter dæmon. Cuius ratio est, quia ignis inferni non ponitur corporeus nisi quia afflictorum est corpora damnatorum post resurrectionem. Si enim post mortem præmiaretur homo vel solum puniretur in anima & nullo modo in corpore, nullus ignem inferni posuisset corporeum, sed adhærent omnes illi rationi quam fecimus prius, qualis lingua talis flamma, &c. Propter resumptionem enim corporū ponit Aug. & habetur in litera. Etia Greg. 4. dial. ca. 24. dicit ignem illum esse corporeum, congruum est ergo vt spiritus qui corpori ad pœnam reuincuntur quales sunt animæ damnatorum aliter ab igne corporeo patiuntur, aliter dæmon qui nunquam corpori vniuntur, vt forma. Illi quidē secundū veritatem, hic autē secundum adaptationem. Primū patet sic, sicut se habent spes & delectatio ad bonum, sic se habet tristitia & timor ad malum (sicut enim delectatio est de bono præfenti, spes verō de futuro, sic tristitia est de malo præfenti, timor verō de futuro) sed secundū quantitatem delectationis quæ æstimatur esse de bono præfenti præcedit gaudium spei de futuro, ergo secundum quantitatem tristitiæ quæ æstimatur de malo cum præfens fuerit præcedit dolor timoris de ipso futuro: hinc est q̄ adiudicati morti ex consideratione futuræ mortis quandoq; mortem incurrit. Cum igitur animæ damnatorum scient infallibiliter q̄ resumptis corporibus igne cruciabitur per veram immersionē ex ipsa consideratione ignis nocui futuri, verissime cruciantur mentaliter, & hoc quidem plus vel minus secundum q̄ maiori vel minori afflictioni corporali sciunt se resumptis corporibus adiudicatas. Et confirmatur hoc, quia pœna reprobōrū per oppositū se habent ad præmiū beatorū, sed præmiū beatorū ante resumptionē corporum consistit in gaudio rei de diuina visione, & gaudio spei de corporis glorificatione, ergo pœna reprobōrū consistit in vehemēti tristitia de amissione visionis diuinæ, & vehemēti timore de afflictione corporis futura: sic igitur patet q̄ animæ damnatorū quæ corporibus reuincuntur ad pœnā patiuntur ab igne corporeo secundū veritatem, quia ille ignis ante resurrectionē verē timorē & hor-

g. d. h. u. s. dist.

rorem, & per consequens tristitiam animæ ingerit, qui post resurrectionē corpora cum animabus verē exuret.

9. Secundū patet, scilicet q̄ spiritus angelicus qui vnquam vnitur corpori, vt forma affigitur ab igne per quādam similitudinem & adaptationem: spiritualis enim tristitia & delectatio cum sint ignote multitudinis, oportet q̄ per delectationes & tristitias corporales figuratiter exprimantur, & sic cum summus dolor sensibilis sit ab igne qui est maximē actiuus, tristitia & dolor spiritualis in angelis propter suam vehemētiā si non esset ab igne secundum rem, diceretur tamē ab igne esse per quādam similitudinem & adaptationem. Et hoc potest probari dupliciter. Primo quia afflictio dæmonum sumenda est per op situm ad delectationē beatorum spirituum quæ est in cōsecutione sui finis, & non in aliqua re corporali, & si aliqua de eorum delectatione dicantur quæ videtur ad delectationem corporealem pertinere (sicut q̄ reficiantur aut rideant) per similitudinē debet intelligi, ergo afflictio dæmonum consistit in tristitia quā habent de separationē sine in quo summē perficerentur & delectarentur, si ipsam attingerēt & nō in aliqua re corporali: & si aliqua de eorum afflictione videantur sonare in corporealem punitionem, debent intelligi per quādam adaptationē & similitudinē, sicut q̄ igne ardeant, vel fœtoribus affigantur. Secundo pœna debet respondere culpæ, sed culpa dæmonum non fuit cū aliqua delectatione sumpta ex rebus corporalibus, sed ex inordinata cōplacētia sui cū interpretatiuō cōtemptu dei, ergo pœna eorū debet esse in tristitia quā habent de carentia visionis diuinæ quā incurrit propter contemptū dei, & indisplicentiā sui: hæc autē pœna grauissima est & maior quacūq; pœna sensibilis, sicut & delectatio à qua se excludunt maximā est & maior omni delectatione sensibilis. Vnde dicit Aug. & habetur in. 4. Sententiā dist. 46. alienari à regno dei, carere magna multitudine dulcedinis dei tam grandis pœna est vt nulla possint ei tormēta quæ nouimus cōparari. Et Chry sost. super Mat. Ponamus, inquit, ante oculos quanti doloris est excludi & proici à regno colorū, quā vt mihi videtur, ipsa grauior est gehenna. Item multo gehenna horret, ergo verō casum illius glorie multo maiorem esse autumo. Item mille gehennas ponat quis, nihil tale dicit quale excludi à gloria & odio haberi à Christo.

10. Nobis autem videtur contrariū propter tria. Primo quia sensibilia sunt nobis magis nota. Secundo, quia delectationes sensibiles cū sint passiones appetitus sensitiui sunt cum aliqua corporis transmutatione, & ideo fortius hic sentiuntur. Tertio, quia delectationes corporales appetuntur tanq̄ medicina contra tristitias corporales quibus superuenientibus magis sentiuntur & acceptantur: nō sic autē est de delectationibus spiritualibus, & tamē simpliciter sunt maiores, vnde hoies à maximis delectationibus abstinent, & maximas tristitias corporales sustinent ne perdāt honorem qui est quoddā boni intellectuale: dignus enim honore regis, prius veller quamcūq; panam sensibilem extra mortē & quandoq; mortē sustinere q̄ honorem amittere, propter vehemētiā igitur pœnae quam habent de amissione visionis diuinæ dicuntur per quādam similitudinē affigi ab igne.

11. Hic autem occurrit quēdā dubitatio. Si enim carentia visionis diuinæ maximā pœna est qua precipuē dæmones affliguntur, cum decedentes in originali visione diuina careant, sequitur q̄ peccato originali debeatur maxima pœna & par pœna quæ debetur dæmonibus pro peccato actuali quod est inconueniens, quia pœna decedentium in solo originali est mitissima secundū Aug. & alios sanctos. Et dicendum ad hoc q̄ sicut nō delectat boni nisi cognitū, sic malum nō affigit nisi cognitum, decedentes autem in solo originali nullam cognitionem habuerunt nec habere poterunt de beatitudine cum fidem nō habuerint, nec sacramētum fidei susceperint, nec ad eam cognoscendam se extendat cognitio naturalis, & ideo de eius carentia nō tristantur: dæmones verō qui gratiā habuerunt & fidem sine qua impossibile fuit eos gratiā habere, cognitionem habent de illo sine quem suo demerito amiserunt, & ideo summē de hoc tristantur. Et si dicatur vltra quod decedentes in originali saltem in iudicio, & per cōsequens post iudicium habebunt de beatitudine aliquam

aliquam cognitionem, quia ut infra dicitur, omnes cognoscunt iudicium Dei iustum esse quoad penas damnatorum & premia beatorum & quantum ad meritum & demeritum utrorumque, & ideo sciunt quare ipsi ad beatitudinem sanctorum non admittentur.

11. Dicendum quod tales cognoscunt quod boni qui per baptismum vel per proprium meritum cum gratia Christi meruerunt, habebunt pro premio aliquod donum a Deo & aliquam cognitionem maiorem quam sit illa quam possunt habere ex naturalibus, & de se sciunt quod ad illud premium non pertingent, quia sciunt se non fuisse baptizatos nec Christi gratiam percepisse: non oportet tamen quod se sciant illo dono priuatos esse propter culpam originalem, & ideo non dolebunt, quia in eis non erit aliqua obliquitas voluntatis ita ut irrationabiliter doleant de quocumque, dolent autem irrationabiliter de carentia visionis diuinæ, sed solum cognoscunt quod ad eam non admittuntur, quia non fuerunt participes gratiæ Christi nec per baptismum nec proprium meritum. Si autem cognoscerent quod ab ea denecarent propter demeritum primorum parentum, forte possent de hoc rationabiliter dolere, non tamen oportet quod sciant, ut dictum fuit in secundo libro: patet igitur quod demones affliguntur ab igne per quandam similitudinem & adaptationem, animæ vero damnatorum per veram trinitatem quam concipiunt de hoc quod sciunt se resumptis corporibus in illo igne eternaliter cruciandos.

12. De animabus vero quæ dicuntur esse in purgatorio quæ quidem corporibus in resurrectione veniunt, sed non ad penam, quia post resurrectionem purgatorii non erit, idem tenendum est, scilicet quod affligantur per hoc quod retardantur a diuina visione, quædam plus quædam minus: sicut enim penale est ab ea excludi, sic ab illa retardari, & tanto plus quanto diutius ab illa retardantur. Itæ sicut grauitas & leuitas inclinant ab suo loco naturalem, sic inanis charitas ad beatitudinem, sed si in graui impeditur a loco naturali esset cognitio, penale esset ei impediri a loco suo naturali, ergo similiter est penale animæ separatae existenti in charitate & cognoscenti se propter culpam commissam & penam ei debitam a beatitudine retardari. Propter ergo vehementiam huius pænæ possunt secundum quandam similitudinem & adaptationem dici pati ab igne & huic obsonat dictum Apostoli. i. Cor. 3. Salus erit, sic tamè quasi per ignem. In quo innuitur similitudo & adaptatio.

14. Sed dicit aliquis, animæ sanctorum patrum qui precesserunt aduentum Christi retardabantur a visione dei, & tamen erant in charitate nec affligebantur sicut ponimus animas in purgatorio affligi, quod tamè oportuisset si dicitur modus esset verus. Et dicendum ad hoc quod aduentum Christi non erat tempus perueniendi ad visionem diuinæ essentie, cum non esset solum debitu nature quod in morte Christi solutu est, nunc autè post mortem Christi est tempus perueniendi ad eam nisi propria culpa, vel obligatio ad penam impediat, & ideo non perueniunt nunc est penale, prius autem non fuit: & ponitur exemplum, quod enim filius regis ad honorem non perueniat uiuente patre non est ei penale, quia nondum est tempus quod perueniat, sed si mortuo patre impediatur, ad tempus ne ad regnum perueniat, valde dolorosum esset ei, & hoc secundum plus & minus secundum quantitatem impedimenti. Patet ergo vnus modus qualiter animæ damnatorum & demones & animæ quæ sunt in purgatorio dicuntur affligi ab igne inferni existente corporeo. Sed quia ut prius dictum fuit ille non est practicus modus quo demones & animæ separatae affliguntur, ideo tangendi sunt alii modi qui traduntur a doctoribus.

15. Et est vnus modus quo demones & animæ separatae affliguntur ab igne inferni per veram immisionem, & isti variantur. Quidam enim eorum dicunt sic, quod ignis inferni potest considerari dupliciter. Vno modo secundum se, & sic non potest agere in spiritu. Alio modo ut est instrumentum diuinæ iustitiæ, & sic potest agere in spiritum, & ipsum verè affligere per immisionem veram, quod probat per rationem & per simile. Ratio talis est: instrumentum præter suam virtutem naturalem videtur habere aliquam aliam virtutem a principali agente, sicut calor naturalis qui est instrumentum animæ præter suam virtutem calefacti-

uam quæ habet a se habet ab anima (cuius instrumentum est) virtutem conuertendi in substantiam alii alimentum, sicut dolabra habet ab artifice virtutem introducendi formam arcæ, ad quæ non posset ex se attingere, ergo similiter ignis inferni ut instrumentum est diuinæ iustitiæ habet aliquam virtutem per quæ potest attingere ad aliquid ultra virtutem propriæ nature. Tunc arguitur sic, quicquid Deus potest facere mediatis causis secundis potest facere sine eis, sed Deus potest affligere animam mediante corpore sicut nunc affligitur sensibiliter dum est in corpore, ergo potest eam consimiliter affligere sine corpore, si sic, ergo & ignis ut est instrumentum diuinæ iustitiæ, cum in instrumento, ut dictum est, sit aliqua virtus principalis agentis per quam potest in aliquid in quod non posset ex conditione suæ nature. Per simile probatur idem sic, sicut sacramenta sunt instrumenta diuinæ misericordiæ iustificantis, sic ignis inferni est instrumentum diuinæ iustitiæ punientis, sed sacramenta quatenus sunt instrumenta diuinæ misericordiæ agunt iustificando animam per alicuius immisionem, ergo ignis ut est instrumentum diuinæ iustitiæ affligit animam per veram immisionem.

16. Hæc autem opinio non videtur posse stare. Primo quia nullum instrumentum potest agere circa aliquid in virtute alterius nisi possit, circa illud ponere suam propriam actionem, sicut calor agens ut instrumentum animæ potest de se ponere suam actionem naturalem, scilicet calefactionem circa alimentum quod conuertit virtute anime in carnem, & securus suam actionem naturalem habet circa lignum in quo ut mota ab artifice inducit formam arcæ, sed ignis de se non potest aliquam habere actionem circa animam vel demoneum ut istum consentitur, ergo non potest circa eam habere actionem ut instrumentum diuinæ iustitiæ.

Tho. 1. q. 45. ar. 5.

17. Secundo, quia principium passionis quæ est per immisionem semper est aliqua forma ipsius agentis, sicut enim passio per immisionem fit per receptionem alicuius forme in patiente, sic principium talis actionis est aliqua forma in agente, illud ergo quod non dat alicui nouam formam, non dat ei quod possit affligere per immisionem forme, sed quod ignis agit ut instrumentum diuinæ iustitiæ non ponit in eo aliquam nouam formam neque accidentalem neque substantialem, ergo per hoc non potest animam affligere, quia dicitur agere ut instrumentum diuinæ iustitiæ.

18. Tertio, quia si anima vel demoneum affligeretur per veram immisionem, tunc forma immisa aut esset corporalis aut spiritalis, non corporalis, quia anima separata non est susceptiva alicuius forme corporalis. Nec spiritalis, quia illa non potest affligere, quia nihil adicit quod sit nature conueniens, eo quod non habet contrarietatem ad aliquam formam naturalem, ergo nullo modo affligitur demoneum vel anima ab igne per immisionem. Si dicatur quod ignis non immittit aliquam formam nisi afflictionem, hoc non potest esse, quia afflictio vel dolor non est aliud quam remissio appetitus contra nociuum præsens & cognitum, obiectum ergo afflictionis est nociuum præsens & cognitum, sed obiectum præcedit actum ordine nature, oportet ergo quod prius ordine nature ignis sit animæ nociuus, & deinde cognoscatur ut nociuus quæ sequatur afflictio in anima, si ergo ignis affligit animam separata per veram immisionem per quam est ei nociuus, oportet quod prius aliquid immittat quod nocet, quod cognitum causet afflictionem. Item afflictio verius consistit in abiectione forme conuenientis, quam in receptione cuiuscumque forme: quia receptio cuiuslibet forme non est disconueniens nec per consequens afflictio nisi quatenus abiicit aliam formam nature conuenientem. In assignando ergo quomodo anima patitur ab igne vera & reali passione per immisionem, potissimè deberet dici quæ est forma vel perfectio animæ separatae conueniens, quæ aufertur per formam ab igne immisam: hoc autem non fit nec est facile hoc fingere, quare & c.

19. Ad rationes eorum respondendum est, & primo ad illud in quo fundatur prima ratio. Dicit enim quod omne instrumentum præter suam naturalem virtutem habet aliam virtutem a principali agente, per quæ potest in vltiorem effectum quam posset ex conditione suæ nature. Istud enim non est verum si intelligatur quod ab agente principali

fiat noua forma in instrumento, unde in calore qui est in  
strumentū animæ nulla forma est ab anima, & tamen cō-  
uertit instrumentāliber cibum in carnem altero duorum  
modorū: aut quia disponit, & anima cui calor est coniu-  
ctus formā carnis inducit, aut (vt alii dicunt) calor & ani-  
ma se habent sicut vnum agens perfectum quod inducit  
formā carnis, ad quam inducendam alterum solum non  
sufficeret, sicut in securi acuties & durities sunt vnū prin-  
cipium secandi, nec alterum sufficeret. Simili modo non  
est dicendum quod in dolabra sit aliqua forma influxa à prin-  
cipali agente præter motum localem, quo dolabra moue-  
tur ab artifice: quia forma arcæ vel cuiuscunq; artificiatū  
non est nisi determinatus ordo partium qui potest fieri  
per solum motum localem diuisionis vel incisionis, pro-  
ut competit tali vel tali ordini partium seu dispositioni.  
Cum ergo primo arguitur, quod Deus potest agere sine cau-  
sis mediis quicquid facit mediis eisdem, verum est de cau-  
sis agentibus vel finalibus que sunt causæ extrinsecæ: de  
causis verò formalibus vel materialibus non est verum,  
non enim potest Deus facere hominem sine anima, aut sine  
corpore, quia hoc implicat contradictionē, anima autē  
non paritur ab igne mediante corpore vt à causa agente:  
non enim ignis agit in corpus, & corpus in animam, imò  
illud quod immediate ab igne patitur est corpus animatū  
includens intrinsecæ corpus & animam, & istud patitur à  
Deo mediante igne in quantum virtus per quā ignis agit  
in corpus animatum, causatur à Deo & conseruatur, pro-  
pter quod bene sequitur quod sicut Deus mediante igne vt  
causa efficiente affligit corpus animatum, sic potest affli-  
gere ipsum sine igne, sed quod Deus vel ignis possit animam  
separatam à corpore affligere simili afflictione, sicut affli-  
gebatur totum cōpositum à Deo mediante igne vel sine  
igne non probatur, quia ad afflictionem animæ dum est  
in corpore non se habet corpus nec totum cōpositum vt  
agens, dato etiam quod Deus possit animam separatam affli-  
gere sicut affligitur in corpore, non oportet tamen quod  
hoc possit competere igni quantumcunque diceretur in-  
strumentum, quia non omne quod deus facit per seipsum  
potest facere per instrumentum.

20 Ad secundum dicendum sicut aliqui dicunt quod sacra-  
menta non causant aliquid in anima nisi sicut causa sine  
qua non, sed totū facit virtus diuina assistens. Et iterum:  
perfectio consistit in sola receptione, vera autē passio non,  
& ideo nō sufficit ad assignandū causam afflictionis ani-  
mæ dicere quod aliquid immittitur ei ab igne vt instrumen-  
tum diuinæ iustitiæ, sed oportet vltius dicere quæ est il-  
la forma conueniens quæ per illud immisum abiicitur.  
Adhuc nō est simile de sacramentis & de igne quia sacra-  
menta non agunt in animā separatam, sed in totum con-  
iunctum circa quod possunt ponere suā operationē natu-  
ralem prout pertinet ad agens instrumentale, ignis autem  
nullā actionē naturalem potest habere circa animā sepa-  
ratam quam dicitur affligere, & ideo non est simile.

21 Secundus modus eorū qui dicunt animam separatā  
affligi per verā immisionē est talis: dicit enim isti quod vir-  
tute diuina superadditur, & infunditur animæ separate  
aliqua qualitas seu habitus supernaturalis ratione cuius  
anima separata vel dēmon potest pati ab igne inferni, quā-  
uis secundū se nō posset ab eo pati. Ratio istius opinionis  
est sola fuga inconuenientium, quia cum isti non possint  
ostendere qualiter anima separata posset secundū se aliud  
recipere per quod affligeretur, adinueniunt quod hoc pote-  
rat fieri mediante aliquo sibi diuinitus addito.

22 Istud autem dictum est minus probatum quā primū,  
quia illud additū anime, aut est corporeum aut spiritua-  
le: si spirituale æqualis dubitatio est qualiter anima sepa-  
rata que est spiritus potest pati ab igne corporeo median-  
te illo sicut sine illo, quia vtrobiq; est eadem ratio. Si au-  
tem istud additum sit corporeum, aut facit vnum suppositū  
cum anima aut nō. Si non, tunc ratione ipsius anima  
nō poterit pati, quia distinctorū secundū suppositū sunt  
distinctæ actiones & passiones. Si verò sint vnum secun-  
dum suppositū, aut illud est subiectū anime, aut anima est  
subiectum illius: nō potest dici quod sit subiectū anime, quia  
subiectum anime non est nisi sua materia vel suum cor-  
pus ex quibus cōiunctis resultat homo, & sic nō esset ani-  
ma separata de qua loquimur. Si verò dicatur quod anima

est subiectum illius additi quod ponitur corporale, tunc  
æqualis dubitatio est quomodo anima posset recipere il-  
lud corporale accidēs, sicut dubitamus qualiter posset re-  
cipere caliditatem vel quancunq; qualiter corporeā,  
& ideo ista positio in nullo declarat propositum, sed assu-  
mit æquale dubium.

23 Alius modus est quod in anima separata virtute diui-  
na possunt remanere potentie sensitivæ, quod probatur:  
quia virtute diuina accidēs absolutū potest separari à suo  
subiecto, sed secundum istos potentie sensitivæ sunt quæ-  
dam accidentia absoluta, ergo virtute diuina possunt sepa-  
rari à cōposito in quo sunt tanq; in subiecto, & remane-  
re in anima separata. Tunc arguitur sic: verus dolor sen-  
sibilis perficitur in actu appetitus sensitivi præuia cogni-  
tione sensitiva, sed remanentibus potentis sensitivis in  
anima separata potest in eis esse sensitiva cognitio & ap-  
petitus consequens, ergo in eis potest esse verus dolor sen-  
sibilis & vera afflictio.

24 Sed nec istud valet, quia dato quod Deus possit sepa-  
rare accidēs absolutū à subiecto, nō tamen posset separari  
ponere in quocunq; alio subiecto: sicut quantitas separa-  
tam à substantia panis in sacramento non posset ponere  
subiectū in angelo, & eodē modo potest animam sensitivam  
que est accidēs organi corporei nō posset ponere in ani-  
ma separata. Dato etiam quod posset ponere adhuc nō suffi-  
ceret ad hoc quod anima sensibilis pareretur ab igne, quia  
obiectū huius passionis est aliquid nocens, sed nō potest  
dari modus quomodo ignis noceret animæ separatæ etiā  
si haberet potentias sensitivas pluraquā si nō haberet: non  
enim nocet ex hoc solo quod cognoscitur quancunq; co-  
gnitione, & ideo hoc modo non potest assignari causa  
passionis animæ ab igne.

25 Alius modus assignatur quod spiritus incorporeus sci-  
licet anima separata vel angelus paritur ab igne solū per  
detentionem per hunc modum: quia spiritus incorporei  
secundum istos diffiniuntur loco, ita quod existunt sicut  
vno loco quod non in alio. Res igitur corporea habet ex na-  
tura sua quod spiritum diffiniat, sed non habet ex natu-  
ra sua quod spiritum detineat quin alibi spiritus possit di-  
uertere, sed hoc superadditur: igitur ignis corporeus in-  
quantū est instrumentū diuinæ iustitiæ habet quod detinet  
spiritum sic quod alibi non diuertat, & ita efficitur ei pæ-  
nalis retardatio ipsum ab executione propriæ voluntatis  
ne operetur vbi vult & secundū quod vult, & tunc am-  
plius cruciatur quanto superior est.

26 Hæc autē opinio probabilis est ponendo quod ani-  
ma separata vel angelus sit in loco secundum suam essen-  
tiam: quia tunc potest virtute diuina detineri in loco ne  
moueat ad alium ad quem vellet, nō bene tamen appa-  
ret quomodo virtus detentiva sit in igne. Hoc tamen nō  
obstante potest dici detineri ab igne, quia detinetur in  
igne & sic ab eo patitur eo modo quo desideras mortem  
& fastidies vitam dicit quod anima sua patitur à suo corpo-  
re in quo detinetur. Et nihilominus graue videtur aliqui-  
bus quod iste totus modus quo anima vel dæmon patitur:  
quia secundum hunc modum æqualiter pareretur anima  
vel dæmon si detineretur in pulcherrima camera & opti-  
mè ornata, sicut patiantur ab igne, quia nō ponitur pati,  
nisi quatenus detinetur. Hoc autem non reputatur come-  
muniter adeo graue seu pœnale, sicut prædicamus graue  
esse pœnam damnatorū hominum vel dæmonū. Et confir-  
matur, quia sicut animæ damnatorū detinentur in infer-  
no, sic anime puerorū decedentium in originali detinen-  
tur in limbo. Si ergo sola detentio est afflictio sequitur quod  
animæ decedentium in solo originali tantū affliguntur  
quantum dæmones vel animæ damnatorum, quod non  
videtur conueniens.

27 Si verò spiritus ponatur esse in loco solum per opte-  
rationem, tunc nō bene apparet qualiter patiatur à loco  
per detentionem, quia operationem quædam manent in  
agente, vt intelligere & velle, & per istas non potest spiri-  
tus magis esse in loco quā per essentia. Aliæ verò sunt quæ  
transeunt in materiam exteriorē, vt mouere, & per has  
solas potest spiritui competere esse in loco quatenus mo-  
uet vel facit aliquid circa locum vel circa corpus existens  
in loco: hæc autem operatio licet posset conuenire ange-  
lis, non conuenit tamen animabus separatis, quia ani-  
ma

ma separata nec mouet ad formam quod est sibi comune & angelis, nec potest mouere aliquid corpus ad locum, quia cum habeat determinatum mobile, scilicet corpus cui uenit ut forma mediante quo mouet quicquid mouet, ideo separata ab eo nihil aliud potest mouere. Si ergo spiritus non est in loco, nisi per operationem, & nullam talem potest habere anima separata, sequitur quod ipsa non sit in loco, & per consequens quod ibi non detineatur, nec per detentionem affligatur. Item probatur de anima separata & angelis simul, quod esto utriusque conueniat operari circa locum quod tamen non affligatur per detentionem in loco: quia si esse in loco est operari in loco, ideo esse & detineri uolenter in loco seu contra uoluntatem est operari in loco uolenter seu contra uoluntatem, sed illud non potest competere animae separatae vel angelo, quare &c. Maior de se patet, minor probatur, quia magis potest homo cogi ad operandum quam angelus vel anima separata, sed homo non potest cogi coactione simpliciter ad operandum ea quae dependet ex libero arbitrio, quauis possit impediri ne faciat quod uellet facere: nam si per uolentiam manus alicuius hominis applicetur ad percutiendum alium, talis non percutit actum, quia principium actionis percussio non est in ipso, sed merè passiuum, & multo magis uidetur quod anima separata vel angelus non possit cogi ad aliquam actionem dependentem à libero arbitrio: talis autem est omnis actio quae habet vel habere potest anima separata vel angelus circa locum, ergo angelus vel anima separata non potest cogi ad operandum in loco vel circa locum, quare si esse in loco est operari in loco, patet quod nec angelus nec anima separata possunt uolenter detineri in loco nec per consequens affligi per uolentiam detentionem.

28 Si uero dicatur quod non sunt in loco nec detinentur in loco per actionem suam in loco, sed potius per actionem quam recipiunt à loco. Contra, detineri à loco supponit esse in loco, si ergo passio spiritus in loco est per detentionem in loco, sequitur quod passio in loco supponit esse in loco, sed posterius supponens suum prius non est causa eius ergo pati à loco non est ratio angelo vel animae quod sit in loco, igitur. Isti sunt modi quibus doctores nituntur ostendere quare anima separata vel angelus patitur ab igne, & tamen (ut uisum est) nullus satisfacit intellectui. Nec mirum, quia ut dictum fuit in I. libro quod prima ea quae sunt fidei non possunt scientificè probari, nec rationes in contrarium scientificè solui, pro eo quod fides est de his quae excedunt omnem rationem naturalem.

In prologo quaest. 1.

29 Tenendum est ergo absque ulla dubitatione quod anima separata patitur ab igne secundum modum primum assignatum, sed totalem modum nullus adhuc docuit, nec puto quod docere possit nisi ei reueletur.

30 AD primum argu. dicendum quod sicut nullum corpus potest pati à spiritu passione propria dicta, quae est abstractio formae conuenientis & receptio formae disconuenientis, sic nullus spiritus potest pati à corpore cõsimili passione. & ideo ille modus passionis qui ponitur esse per immisionem non tenetur communiter.

31 Ad secundum dicendum est quod Aug. loquitur inquirendo, unde & alium modum ponit. 21. de ciu. Dei, ubi dicit, quod sicut in conditione hominis anima iungitur corpori ut dans ei uitam, quauis unum sit corporale & aliud spirituale, & ex tali cõiunctione concipit anima uehementem amorem ad corpus, sic anima separata ligatur igni ut accipiens ab eo poenam, in quo innuit poenam animae esse per detentionem in igne. Vel dicendum quod Aug. intelligit quod ea quibus immediate anima afficitur ad dolorem vel poenam sunt spiritalia, quatenus ignis non affligit animam nisi mediante apprehensione vel seipso ut apprehenso quod est quoddam esse spirituale, quauis illa responsio non uideatur multum efficax: quia per hunc modum posset dici quod quicquid affligitur, affligatur non per corporalia, sed per similitudinem corporaliū, quia nihil affligit nisi ut apprehensum.

32 Ad tertium dicendum quod principale agens oportet esse nobilior patiente, sed non oportet quod instrumentale agens sit nobilior: nullus autem ponit quod ignis sit principale agens in afflictione animae, & ideo non oportet quod sit nobilior anima.

33 Ad quartum dicendum quod argumentum illud

bene probat quod ignis ille non affligit daemones uel animas separatas per immisionem, sed non probat quin affligat per detentionem: detenti enim in carcere non solum affliguntur dum actualiter detinentur, sed etiam dum exeunt scientes se iterato retrudi, ita quod afflictio semper est per detentionem uel deputationem ad locum detinentem: sicut e contrario electi gaudent de celo empyreo quod quodammodo in eorum cedit gloriam non solum quando sunt ibi, sed etiam quando recedunt scientes illum locum sibi deputatum.

Sententia huius distinctionis. X L V. in generali & speciali.

PRæterea sciendum est. Determinato in præcedentibus de resurrectione, hic determinat de finali omnium remuneratione. Et primò de remuneratione iudicium præcedente. Secundo de præcedentibus ipsum iudicium di. 46. ibi, Sed quaeritur hic: Prima pars est principalis lectio, & habet duas partes. Primò enim proponit intentum. Secundo agit de suffragiis mortuorum ibi, Sed forte quaerit. Prima habet tres. Primò enim ostendit mortuos suffragiis adiuuari. Secundo incidenter agit ad quid profunt exequiarum pompæ. Tertio mouet incidentes quaestiones circa modos sepulchrorum. Secunda ibi, De pompis uero. Tertia ibi, solet moueri. Et ista habet duas, & secundum duas quaestiones mouet duas. Secunda pars principalis in qua agit de suffragiis uiuorum habet tres. Primò enim proponit intentum. Secundo confirmat. Tertio confirmationem ad propositum applicat. Prima ibi, Sed forte quaeris. Secunda ibi, Sicut enim angelis. Tertia ibi, Si autem angeli.

2 Proponit ergo primò Magister quod anima post mortem diuersa receptacula habent iuxta meritum usque ad diem iudicii, post etiam iudicium earum poena uel gloria augebitur. Deinde subdit mortuos uiuorum suffragiis posse adiuuari, si tamen hoc dum uixerunt meruerunt. Et subdit quod summè mali non iuuantur, pompæ autè quæ fiunt ad uiuorum sunt solatium, non autem ad suffragium mortuorum. Deinde quaeritur utrum suffragia communia & spiritalia facta pro bono diuite plus profint etiam suffragia communia quæ fiunt pro paupere. Et respondet dupliciter. Primò quod tantum profunt sola generalia pauperi quantum generalia & spiritalia diuiti, quia ex pluribus causis iuuatur diues quam pauper. Secundo dicit quod diues citius liberatur sed non plenius. Deinde quaerit de illo qui suffragiis indiget & morietur in consummatione seculi, & respondet quod talis per ignem futurum & suffragia ecclesie saluabitur. Deinde quaerit utrum sancti preces nostras audiant. Et respondet quod sancti angeli diuina faciem uidentes ea quæ apud nos aguntur cognoscunt quantum ad eorum gaudium pertinet & nostrum auxilium, & angeli dicuntur orationes Deo offerre non quod Deum instruant, quid circa nos agendum sit, sed preces offerunt: ideo preces nostræ dicuntur exaudiri, quia curiae celestis innotescit eorum exauditio.

QVÆSTIO PRIMA.

Utum suffragia uiuorum profint defunctis.

Circa distinctionem istam primò quaeritur, utrum suffragia uiuorum profint defunctis. Et arguitur quod non, quia mala facta per uiuos non nocent defunctis, ergo bona facta per eos non profunt defunctis: consequentia de se uidetur manifesta, sed antecedens probatur per illud Ezech. 16. Filius non portabit iniquitatem patris.

1 Item valor vnus suffragii debet esse vnus, si ergo suffragium alicuius uiuentis prodesset defuncto, sequeretur quod non ipsi facienti, quod est cõtra illud Psalmistæ: Oratio mea in sinu meo conuertetur.

2 Item secundum Greg. in pastora. Cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, sæpe irati animus ad deterrora prouocatur, sed peccator Deo displicet, ergo intercessio peccatoris ad Deum pro aliquo defuncto magis prouocat ipsum ad iram quam prouocat ad misericordiam: & sic suffragia uiuorum saltem peccatorum non uidentur prodesse defunctis.

3 IN contrarium est quod dicitur secundi Macha. 12. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare: sed non est salubris nisi eis prodesset aliquid, ergo &c.

EEE 5 RES